

bono possent. Tertio, addit homines, qui in natura lapsa illo carent adjutorio, nimirum quo possint perseverare, si velint, in pœnam peccati illo carere. Quarto, sentire videtur (licet id non declaret) homines nunc, licet illo adjutorio careant, peccare, cum in bono non perseverant; qui enim verisimile est, potuisse Augustinum in contrarium cogitare? Aliqui ergo intelligunt Augustinum loqui non de auxilio necessario ad vitanda singula peccata, sed ad perseverandum semper, vel diu sine peccato; et quia hoc adjutorium nunc includit gratiam habituales, putant loqui Augustinum de adjutorio gratiæ habitualis, utique prout includit auxilia illi debita, et peculiarem Dei protectionem quam justificatis Deus exhibet.

15. Hæc autem expositio, licet ex parte satis consentanea discursui Augustini, non tamen videtur sufficiens ad omnium dictorum ejus veritatem tuendam; nam falsum erit secundum dictum, nimirum, si Angeli et Adam non habuissent gratiam habituales, non fuisse illis ad culpam imputandum, si in bono in quo creati sunt non perseverent. Nam Angelus creatus in sua pura natura posset perseverare, et non perseverare in bono naturali, seu morali, et non perseverando graviter peccaret. Idemque longe certissimum est de primo homine creato in natura integra sine donis gratiæ, tam habitualis, quam actualis, vel etiam sine ullo ordine ad supernaturalem beatitudinem, ut libro 2 ostensum est. Ergo absolute falsum est, sine adjutorio habitualis gratiæ, non potuisse hominem vel Angelum perseverare, si vellet, et non fuisse illi imputandum ad culpam, si non perseveraret. Quod si quis dicat loqui Augustinum de perseverantia in observatione præceptorum, etiam supernaturalium, et in ordine ad beatitudinem supernaturalem, contra hoc est, quia si homo vel Angelus crearetur sine gratia habituali cum præceptis et obligatione tendendi in supernaturalem finem, posset per auxilia actualia perseverare, si vellet; ergo absque adjutorio gratiæ habitualis, per primum auxilium supernaturale, haberet auxilium, saltem remote ac in radice sufficiens ad perseverandum si vellet, et ita tunc solum ei non imputaretur ad culpam non perseverare, quando omni modo, et proxime, et remote, illi negaretur auxilium actuale sufficiens ad perseverandum; ergo necesse est Augustinum intelligi de adjutorio sufficiente quocumque modo: ergo consequenter, cum negat dari

aliquibus hominibus lapsis tale adjutorium in pœnam peccati, non solum loquitur de gratia habituali, sed absolute de auxilio sufficiente quocumque modo. Nam etiam homo lapsus, si recipiat, vel paratum habeat primum auxilium sufficiens ad suam conversionem, inde in virtute et radice recipit auxilium sufficiens ad totam salutem, et subinde ad perseverandum, quia si bene utatur primo auxilio, poterit justificari, et habere gratiam habituales, et cum illa auxilium sufficiens ad perseverandum in illa; hoc enim omnibus justis datur aliquo modo, ut supra ostensum est. Unde D. Thomas 2. 2, quæst. 2, art. 5; ad 1, de auxilio præveniente et actuali hunc locum Augustini intelligit, et simpliciter ac sine expositione illum sequitur, sentireque videtur propter peccatum originale negari aliquibus hoc auxilium, non solum ut est necessarium ad perseverandum, sed etiam ut est necessarium ad credendum, amandum, etc., nisi alio modo exponatur.

16. *Advertendum primum.* — *Advertendum secundum.* — Ut ergo mentem Augustini intelligamus, imprimis præ oculis habere oportet distinctionem supra traditam, de duplici modo recipiendi auxilium sufficiens ad aliquem effectum, scilicet, vel proxime, vel remote, quæ membra satis jam declarata sunt. Deinde adverto aliud esse non dare alicui aliquid auxilium, aliud omnino denegare. Primum dicit solam negationem actualis donationis, quæ potest esse propter indispositionem subjecti; secundum addit decretum nunquam dandi, quidquid homo ex se faciat. Et sic Deus non dat gratiam suam sanctificantem homini peccatori et indisposito, non tamen negat illam in dicto sensu rigoroso. Denique intelligi potest locus Augustini, vel de auxilio ad perseverandum in justitia, vel de auxilio ad quocumque peccatum vitandum, vel quemcumque actum pietatis exequendum. Et quia Augustinus de perseverantia præcipue loqui videtur, illum sensum nunc prosequimur; de altero dicemus in solutione ad quartum.

17. *Supponitur discrimen inter hominem in statu naturæ integræ et lapsæ.* — Ulterius ergo supponendum est, ex sententia Augustini, discrimen inter hominem in statu naturæ integræ et lapsæ, quod in natura integra idem auxilium, proxime sufficiens ad servanda singula præcepta, et vitanda singula peccata, erat etiam sufficiens ad servanda omnia præcepta, et vitanda omnia peccata, quovis tempore; subinde fieri poterat ut cum solo

illo adjutorio, quo homo in illo statu posset perseverare, si vellet, etiam vellet, et actu perseveraret. Hoc est enim quod ibi ait Augustinus: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum; dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset perseverare, si vellet; ut autem vellet, in ejus relinquit arbitrio.* Et addit inferius: *Quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset sicut fecerunt Angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Hæc autem comparatio inter Angelos non est ita accipienda, ut putemus, sicut Angeli mali ceciderunt per liberum arbitrium sine adjutorio Dei, ita bonos permansisse per liberum arbitrium sine adjutorio gratiæ; hic enim sensus est valde absurdus, et contra eundem Augustinum aliis in locis. Intelligit ergo per illud idem auxilium, quo receperunt perseverare, si vellet, actu perseverasse, et voluisse perseverare, per liberam voluntatem, eodem utique auxilio, et non majori adjutam, et idem dicit facere Adamum potuisse, si vellet.

18. *De natura lapsa quid.* — At vero in natura lapsa sensisse videtur Augustinus auxilium quod tantum dat homini posse perseverare, si vellet, non esse tale ut cum illo tantum de facto perseveret et velit, sed indigere hominem in hoc statu speciali aliqua protectione Dei, ut actu velit et perseveret, et quamvis hæc ipsa protectio sit in potestate hominis, si velit facere quod in se est per priora auxilia, et ideo remote habeat auxilium sufficiens ad perseverandum, nihilominus proxime non habet illud, nisi quando recipit auxilium, quo non tantum possit si velit, sed etiam velit et perseveret. Et hanc infirmitatem dicit esse pœnam peccati, quia nascitur ex difficultate bene operandi orta ex lapsu naturæ, ratione cujus non potest in hoc statu ordinariis et sufficientibus gratiæ auxiliis perseveranter diu facere quod in se est, nisi aliquod aliud adjutorium accipiat: nec etiam potest per solum auxilium, moraliter sufficiens ad singula peccata vitanda, diu perseverare sine peccato, nisi specialius a Deo protegatur ac dirigatur. Et hoc est in quo Augustinus discrimen constituit, adjugens: *Nunc autem quibus deest tale auxilium, pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, tantoque amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere*

*non possumus, etiamsi velimus, verum tantum ac tale sit ut velimus.* Hæc ergo est sententia Augustini quam nunc non expendimus, nec probamus; infra enim tractando de dono perseverantiæ, tractanda est, sed illam supponimus, ut sensus Augustini, quantum ad rem præsentem facit, intelligatur.

19. *An Adam receperit auxilium proxime sufficiens ad perseverandum si vellet.* — *De hominibus lapsis quid.* — Dico ergo sensum Augustini esse Adamum recepisse auxilium proxime sufficiens ad perseverandum, si vellet, et ita sufficiens, ut pro sua libertate, et velle et perseverare cum effectu potuisset, quod est verissimum, sive illud adjutorium gratiam habituales includeret, sive non, quod nunc non refert. De hoc ergo eodem auxilio ita proxime sufficiente negat Augustinus dari hominibus lapsis, qui cum effectu non perseverant, idque in pœnam primi peccati; quare ratione illius carent justitia originali, et integritate naturæ, et inde fit ut auxilium sufficiens, quod modo recipiunt, non sit tale ac tantum quale et quantum fuit in Adam, propter fomitem et alia impedimenta bene operandi, ut explicavi. Non dicit tamen Augustinus hujusmodi homines, in præsentis statu, nullum auxilium sufficiens recipere ad perseverandum, nam recipiunt saltem remote sufficiens, quod suo modo est vere sufficiens; in eis tamen, propter conditionem hujus status, tale est ut non sit proxime, sed remote sufficiens, et ut nunquam consequatur effectum: ita ergo suo modo in præsentis juxta præcedentem Augustini doctrinam; et hæc responsio sufficere posset præsentis quæstioni, quia non affirmamus omnes recipere auxilium sufficiens proximum, aut perfectum, sed aliquod, qualecumque illud sit, nam in illo est magna varietas, ut capite sequenti dicturi sumus.

20. *Si homo vel Angelus careret perseverantiæ dono, an ei imputaretur ad culpam non permanere.* — Et hinc facile intelligitur veritas illius conditionalis propositionis Augustini, quod si Angelus vel Adam caruisset adjutorio quo posset permanere, si vellet, non ei imputaretur ad culpam non permanere. Est enim hoc verum, quia in Angelo vel homine integro non distinguuntur hæc duo, potestas ad vitanda singula peccata, vel servanda singula præcepta, et potestas faciendi hæc omnia collective et perseveranter, ac longo tempore; ideoque si illi deesset adjutorium quo posset permanere si vellet, oporteret ut illi deesset etiam ad servanda singula præcepta, vel ad



evitandum peccatum in particulari, et in tali vel tali singulari occasione; inde autem optime sequitur talem lapsum, ex defectu potestatis, non potuisse illi ad culpam imputari: quod non ita esset in homine lapsus, quia in illo conjunguntur illa duo, habere adjutorium quo possit singula peccata vitare, si velit, et non posse diu perseverare in vitandis omnibus longo tempore sine majori auxilio, ideoque, licet homo lapsus careat adjutorio sufficiente ad perseverandum, nihilominus illi imputantur singuli lapsus, quia in singulis habet sufficiens adjutorium, ut singula vitare possit, si velit; unde nunquam dixit Augustinus hominem lapsum, in poenam originalis peccati privari adjutorio, quo possit singula peccata vitare, si velit, sed quo possit perseverare, utique proxime et moraliter, ita ut sine majori gratia possit illa potestas habere effectum perseverandi, etiamsi in singulis ita sufficiat; hoc enim necessarium est ut peccatum imputetur, ut Augustinus eodem loco supponit, et in aliis passim, ut lib. 3 de lib. Arbitr., cap. 18 et 19; lib. 4 de Peccat. merit. et remiss., cap. 35, et libr. 22 contra Faust. cap. 78. Certissimum autem est homines lapsos, carentes perseverantiæ dono, in suis singulis transgressionibus vere peccare, ut etiam ex sententia Augustini ostendimus.

21. Respondetur secundo argumento, de auxilio efficaci, seu congrua vocatione. — Ad secundum argumentum multo facilior est responsio, nam in prioribus locis loquitur Augustinus de auxilio efficaci, seu vocatione congrua, dicitque multos alios, qui vocati sunt, et non electi, carere congrua vocatione, quia, cum non essent electi, Deus noluit illam præparare: cum hoc autem stat ut habeant vocationem sufficientem, ut per se constat; et talis vocatio vera dat posse, nec homo ideo illi resistit quia non potest consentire, sed quia non vult, ut expresse dicit Augustinus, l. 2 de Peccat. merit., cap. 17, et de Prædest. Sanct., cap. 6. Quod ergo Augustinus, in primo testimonio ad Simplicianum dicit, *talem esse horum vocationem, qua moveri non possent*, non intelligitur ex vi vocationis, sed ex præscientia Dei, unde facit sensum compositum, nam absolute possent, si vellent, cum tali vocatione moveri, sed quia Deus præscivit illis non futuram congruam fuisse vocationem, ideo in præscientia Dei et in sensu composito talis fuit, ut cum illa moveri non possent; sicut, Joann. 12, de Judæis dicitur: *Propterea non poterant credere*; ubi Augustinus, tract. 53: *Ideo (ait) non po-*

*terant, quia hoc Propheta prædixerat; ideo autem prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit: quare autem non poterant si a me quaeratur, cito respondeo: Quia volebant, malam quippe eorum voluntatem prævidet Deus, et non Prophetam prænuntiavit ille cui futura abscondi non possunt.* Hunc ergo modum loquendi imitatur Augustinus in dicta quæst. 2 ad Simplician., et sæpe alias, cum vocationem non congruam dicit esse talem, ut per eam moveri non possint, utique cum effectu, quia Deus præscivit ita futurum.

22. Et simili modo, cum in cap. 6 de Prædest. Sanct., ait quibusdam non præparari voluntatem a Domino, subintelligendum est congrue, et sicut prænovit eos indigere, ut cum effectu convertantur. Et similiter in cap. 8, cum dicit qui non veniunt non doceri a Patre, et subintelligendum est congrue, et prout scivit eis fore aptum ut discant. Et in hoc ponit semper occultum Dei mysterium quod quosdam sic docet, vocat, aut præparat, sicut novit eis congruere, alios autem minime. Et in hoc eodem sensu dicit, de Dono persever., cap. 14, non electis ad fidem negari unde credant, utique quia non datur auxilium efficax quo credant actu; cum vero addit, *eis non adhiberi dicta vel facta quibus possent credere*, intelligendum est de potestate quæ reducatur in actum, seu de potestate etiam in sensu composito cum divina præscientia, juxta priorem expositionem. Denique quod in cap. 8 ejusdem libri ait, potestatem filios Dei fieri a Deo esse, in universum certissimum est; tamen hæc eadem potestas in sufficientem et efficacem distinguenda est, et priorem dat Deus omnibus, posteriorem autem dat quibus vult, et hoc est in ejus potestate et voluntate, quod ibi Augustinus affirmat; videtur enim loqui de potestate, quæ effectum faciendi filios Dei simul consequatur, et tribuat.

23. Respondetur ad tertium. — Et juxta hæc facilis est responsio ad tertium; in illa enim sæpe repetita ab Augustino admiratione et insolubili quæstione, cur Deus hunc trahat, et non illum; cur iste ita suadetur ut persuadeatur, et non alius; cur iste ita doceatur ut discat, et non alius, duo sunt distinguenda: unum est executio et effectus, seu discretio, prout in re ipsa evenit; aliud est præparatio vocationis, uni congruæ, non ut possit tantum, sed etiam velit, et alteri non ita congruæ, licet sufficiens, ut possit, si velit. Illud enim prius rationem habet ex parte

hominis, nimirum liberum arbitrium, quo unus gratiæ cooperatur, alius autem cooperari non vult; et hoc non negat Augustinus, nec in hoc ponit admirationem, imo sæpe talem proponens quæstionem, prius respondet: *Cito dico, quia volunt, et quia nolunt*, ut in dicto libr. 2 de Peccat. merit., c. 17; de Prædest. Sanct., cap. 6; de Spirit. et Litter., cap. 34; tract. 53 in Joann., et dicto cap. 15 de Prædest. et grat. In secundo autem ponit admirationem, ut ex eisdem locis constat, et merito, quia cum divina prædestinatio et præparatio talis vel talis vocationis antecedit voluntatem humanam, non potest ex parte hominis reddi ratio cur magis pro hoc tempore quam pro illo, in hac occasione quam illa, huic præparetur vocationi, et non alteri, sed tantum est in voluntatem Dei referendum, ut in libro sequenti latius dicemus. Quapropter in hac admiratione non indicat Augustinus uni dari auxilium sufficiens, et non alteri, sed uni dari congruum, et non alteri, quod longe diversum est. Unde in lib. 2 de Peccat. merit., cap. 17, cum dixisset homines nolle facere quod justum est, quia vel illud ignorant, et non innotescit, vel quia non fit suave per gratiam, statim subjungit: *Qua quod non adjuvantur, in ipsis causa est, non in Deo*, in quibus verbis aperte supponit auxilium sufficiens, possuntque tam ad proximum, quam ad remotum applicari, aliter autem et aliter, nam multis per gratiam sufficientem innotescit, fitque suave quod justum est; nihilominus non ita juvantur per gratiam ut faciant, quia ipsi nolunt cooperari, et tunc licet illis satis innotescat quod est justum, non tamen congrue, vel licet fiat suave, adhuc tamen pro sua indispositione eis apparet difficile: possent tamen si vellent, cum solo illo auxilio præveniente justum operari, si velent; nam auxilium cooperans illis est paratum. Aliis autem sæpe nondum innotuit quod latebat, tamen per eos stat ut non reveletur, et ideo auxilium saltem remotum accipiunt, et licet proximam vocationem aliqui non accipiant, de qua in ultimo loco citato Augustinus locutus est.

24. Respondetur ad quartum. — Circa quartum argumentum, multi tribuunt Augustino quod senserit eos, qui in Scriptura obcæcati et indurati dicuntur, ita deseri, ut sufficienti auxilio ad salutem, vel ad non peccandum priventur, quia dicere solet Deum excæcare et obdurare peccatorem, eum deserendo, et non adjuvando, ut habet in tract. 53 in Joann. Sed

immerito hoc ei generaliter tribuitur; nam eodem tractatu de Judæis inquit, *dictum esse: Non poterant credere, non ex defectu potestatis, sed ex præscientia*; et infra dixit: *Ut nemo audeat liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem qua diximus: Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre; rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, et audeat excusare peccatum*, quod ultimum verbum pro præsentis puncto valde considerandum est. Nam si isti obdurati carerent auxilio sufficienti ad evitanda singula peccata, excusandi essent a peccato, quia non possent vitare illud, et nemo peccat in eo quod vitare non potest, juxta doctrinam ejusdem Augustini in locis proxime antea citatis. At hæc excusatio absurda et omnino cavenda eidem Augustino visa est, et merito, nam Christus de eisdem Judæis excæcatis et obduratis dixit Joan. 15, excusationem non habere de peccato suo; et Paulus, Rom. 4, dicit Gentiles fuisse inexcusabiles et morte dignos, etiamsi de eisdem dixerit esse datos in reprobum sensum: et cap. 2, de homine obdurato dixit: *Tu autem secundum duritiam tuam, et impenitens cor, thesaurizas tibi iram*, etc.; ergo necesse est fateri hos non caruisse aliquo modo sufficientis auxilii. Unde in eodem loco Augustinus, post verba citata, subjungit: *Audiamus Dominum, et præcipientem, et opitulantem, et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus.* Intellexit ergo Augustinus hanc potestatem etiam obduratis non omnino negari. Idem sumitur ex eodem Augustino lib. 5 in Julian., c. 3, ubi de eisdem excæcatis Judæis ait: *Ita cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum; et grandis causa peccati ut occiderent Christum.*

25. Regula ergo generalis de his induratis, etiam secundum Augustinum, est Deum non denegare illis auxilium sufficiens; quæ etiam est communior doctrina, ut supra dixi, et optime confirmant Origenes, 3 Periarch., cap. 4; Chrysostomus, hom. 67 in Joan., et alii Patres, ut alibi latius dixi. Major vero difficultas est in altera parte objectionis, de speciali exceptione Pharaonis, quia illum a peccato excusat Augustinus citato loco. Nihilominus, re ipsa spectata, certum videtur non posse excusari, quia non carebat sufficienti motivo ad cognoscendum præceptum, et libertate ad obediendum, alias cur toties illi ex parte Dei, et sub gravissimis comminationibus, præciperetur, ut populum Dei dimitteret, et, quod amplius est, ipse suis verbis fatetur peccatum



suum, Exod. 9 dicens: *Peccavi etiam nunc; Dominus justus, ego autem et populus meus impius*; et Scriptura id confirmat paulo inferius, dicens: *Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum, et ingravatum est cor ejus, et induratum nimis*, quæ verba etiam ostendunt Pharaonem tunc libere operatum esse, et cum potestate non faciendi. Unde in cap. 10 dixit ad illum per Moysen Dominus: *Usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum, etc. Sin autem resistis, et non vis, etc.*, quæ omnia aperte includunt sufficientem vocationem ex parte Dei, et potestatem ex parte Pharaonis ad obediendum. Unde in eodem capite, ipse iterum fatetur: *Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos*. Non est ergo dubium quin Pharao, in illa obduratione, gravissime peccaverit, et hæc est communis Patrum sententia, quam late et bene expendit Origenes supra, et Chrysostomus, homil. 16 in ad Rom., ubi ait, *Pharaonem vocari a Paulo vas iræ, quia erat homo iram Dei accendens, per suam duritiam, quia Dei lenitatem ingentem nactus, melior nequaquam evaderebat, sed incorruptus manebat*; et infra: *Neque Deus quidquam omisit eorum quæ ad illius correctionem, emendationemque facerent, nec ille quidquam omisit eorum quæ ipsum perderent, omnique venia privarent*; et in expositione Psalm. 118, circa verba illa, *Increpasti superbos*, inter eos qui adversus Deum sese extulerunt, primum ponit Pharaonem, de quo ait: *Insolentia affectus, in mari Rubro interiit*; et similiter de illo sentit Hieronymus, epist. 48 ad Sabiniam, et in epist. 110 ad Hedibiam, quæst. 10.

26. Denique, ut alios omittam, etiam ipse Augustinus aliis in locis evidenter hoc docuit, nam quæst. 67 sæpe allegata ex libro octoginta trium Quæstionum, dicit habuisse Pharaonem vocationem, cui obtemperare noluit; non dicit: *Non potuit*, sed: *Noluit*, utique cum velle posset, quod per malitiam fecisse ostendit adjungens: *Sed exercuit crudelitatem in eis quibus humanitas et misericordia debebatur*; et serm. 88 de tempore, ex professo explicat obdurationem Pharaonis, et in principio refert aliquos dicere intra se: *Cur iniquitas illi Pharaoni imputatur, cum Dominus cor illius indurasse referatur?* Ipse vero, ut defendat merito illi imputari, ait indurationem illam non Dei potentiam, sed patientiam induxisse. Denique ait: *Quoties eum Dei plaga percussit, afflicto penituit. At ubi ei remissio illa indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elat-*

*tus erexit*; et infra: *Nemo cum Paganis aut Manichæis justitiam Dei reprehendere aut culpare præsumat, sed certissime credat quod Pharaonem non Dei violentia, sed propria iniquitas, et indomabilis superbia contra Dei præcepta toties fecerit obdurari*; et infra ait quod Pharao per decem plagas compulsus est facere, per primam potuisse facere: *Tunc* (inquit) id est, post dimissum Hebræorum populum, *penitet Pharao quod vivat, et evasisse eum tanta ejus scelera non sustinebant, ut qui in tantis plagis nullam emendaverat culpam*. Et quæst. 18 in Exod., dicit: *Ut tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit*. Nec intelligit fuisse tantum vitii quod tunc committebat, quando suo vitio tam maligne jussionibus Dei resistebat, ut ibidem subjungit; quod vero ibidem ait Pharaonem dici induratum, quia *inflexibiliter resistebat, non flexibiliter consentiebat*, non significat *inflexibiliter*, id est, necessario, sed pertinaciter et contumaciter: vel potest etiam facere sensum compositum in ordine ad præscientiam Dei, qui præsciebat tam prave fuisse affectum Pharaonem, ut non esset flectendus omnibus illis signis, et nihilominus illa fieri voluit, qui eum obdurandum præsciebat, et permittebat. Et quæst. 24 ait non tantum signa, a suis incantatoribus facta, fuisse occasionem Pharaoni obdurationis suæ, sed etiam patientiam Dei, qua illi interdum parebat; ubi expendo verbum *parebat*, nam aperte supponit culpam in resistentia Pharaonis, quam statim vocat perseverantiam in malo, et adducit illud Roman. 2: *Ignoras quia patientia Dei ad penitentiam te adducit; tu autem secundum duritiam tuam, et impenitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*, intelligens hoc ipsum accidisse Pharaoni, ac subinde peccasse; non enim thesaurizatur ira in die iræ, nisi aggravando et multiplicando peccata; et quæst. 29 ponderat illa verba Exod. 8: *Ingravavit Pharao cor suum*, quibus significari vult voluntate sua libera id fecisse, quia *hæc est, inquit, radix vitiorum*. Quid ergo dicendum ad verba illa propositionis 62 in epist. ad Roman. ? Imprimis dici potest Augustinum aliis in locis retractasse illam sententiam. At obstat, quia lib. 1 Retract., cap. 23, quædam alia ex illo libro corrigit, et hoc tacet, unde virtute confirmat. Imo, eandem propositionem 62 recognoscens, approbat quod dixerat, obdurationem esse penam præcedentium peccatorum. Refert tamen ibi se dixisse per ob-

durationem relinquere Deum hominem, ut male operetur; quomodo autem, aut quantum illum derelinquat, et an obduratus male operetur, ita ut ei imputetur, necne, ibi non explicat; sed nihilominus dicendum est, quidquid sit de sensu illius loci, alia quæ plura sunt, et magis elaborata, præferenda esse, præsertim, quia librum illum super ad Romanos scripsit, initio suæ conversionis, antequam esset Episcopus, et non magna diligentia; sed prout fratribus interrogantibus respondendo occurrebat, ut ipse dicit dicto cap. 23 libri 1 Retract.; quod autem ibi verbum illud non emendavit, potuit casu et per inadvertentiam accidere. Addo vero, si omnia verba Augustini pensentur, aliquam forte posse admitti non impossibilem interpretationem: cum enim dixisset obduratum esse cor Pharaonis, eamque obdurationem fuisse ex judicio Dei retribuendis incredulitati ejus debitam penam, subjungit: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperat, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate*. Ex his ergo verbis colligo illam impotentiam obtemperandi, de qua locutus est Augustinus, non fuisse absolutam, nec ex denegatione auxilii divini, sed fuisse compositam, et ex suppositione infidelitatis et incredulitatis. Dum enim Pharao in sua incredulitate persistebat, non poterat obedire Deo, præcipienti dimittere populum suum, ut sibi sacrificaret. Quomodo enim obediret ei in quem non credebatur? Quia ergo erat in sua incredulitate obduratus, et obfirmatus, illa dispositione supposita, non poterat obedire. Non erat autem ita destitutus auxilio ad credendum si vellet, quin infidelitas ei ad peccatum imputaretur, quia re vera sufficienter vocabatur, saltem ut posset attendere et considerare magnitudinem signorum, et non ponere obicem majoribus auxiliis internis Dei. Et ideo infidelitas illa sine dubio culpabilis in eo fuit; tamen illa supposita, necessitate quadam, saltem morali, sequebatur inobedientia circa præceptum dimittendi populum, et ideo dixit Augustinus non potuisse obedire cum esset obduratus priori infidelitate.

27. *Objectio.*—*Solvitur.*—Dices hoc non satis fuisse, ut illa inobedientia, Pharaoni non imputaretur ad novam culpam, quia suppositio illa libera erat, et libere durabat, potuissetque illam Pharao tollere, si voluisset: talis autem suppositio non excusata nova culpa actum pravum subsequentem, etiamsi necessa-

rio ex illa sequatur: ut licet ex prava intentione finis necessario sequatur acceptatio uni-  
ci medi, etiam prava, non excusatur a nova culpa talis electio, vel acceptatio, quia semper est in potestate hominis talem intentionem tollere. Respondetur hoc non esse certum, sed sub controversia; aliqui enim putant in subsequenti actu non esse novam culpam, sed totam ponendam esse in ipsa intentione, et in perseverantia in illa, et potuit Augustinus in illo sensu loqui, quæ alia quæstio non est pertinens ad punctum de sufficientia auxilii, quia, non obstante illa impotentia, et illo genere excusationis, poterat Pharao habere sufficiens auxilium, saltem remote, ad credendum, et consequenter ad obediendum. Deinde dici potest, cum Augustinus ait non imputari quod ei tunc non obtemperavit, non ideo dixisse, quia non fuerit dignus speciali pœna propter illam inobedientiam, cujus contrarium aliis locis docet, sed quia attendendo ad radicem, et causam inferentem quamdam necessitatem non obtemperandi, illa erat tota ratio talis culpæ, et ratione illius reliqua imputabantur.

28. *Respondetur argumento quinto, quod Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso.*—Quinta objectio sumebatur ex illo axioma: *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso*, de quo supra, cap. 2, dictum est intelligendum esse, non solum de desertione quoad habitalem gratiam, sed etiam quoad actuale auxilium. Et imprimis ex illomet principio accepimus hominem, priusquam deserat Deum, habere ab ipso auxilium sufficiens, ut possit ipsum non deserere, quia si prius homo careret auxilio sufficienti, eo ipso esset desertus, nec vere dici posset deserere Deum, cum in ejus potestate non esset ad illum converti, vel illi obtemperare; deserere enim dicit liberum recessum ab eo: non est autem liber recessus, ubi potestas accedendi deest: hæc autem potestas est per auxilium sufficiens; ergo necesse est ut homo, priusquam deserat, tale habeat auxilium. Unde illa propositio, quatenus formaliter negativa est, regulam continet infallibilem quod Deus, quoad auxilium sufficiens, non deserit eos qui ipsum non deserunt, quia hoc est quod formaliter in illa pronuntiatur, et ideo ad veritatem ejus est necessarium, et quia duæ negationes virtute affirmant, ibi etiam continetur affirmatio, quod Deus de se omnibus præbet auxilium sufficiens. At vero alia affirmatio quæ ibi etiam videtur virtute inclusa,